

publicæ. Ex diversô innocentium sanctitas potius nocentem dimittendum, quàm innocentem condemnandum dicitur. Sed innocentiam quoad homicidii pœnam necessitas in præsentî producit casu. Hinc difficilis hujus dijudicatio, ut illa haud facili negotiô discerni possit, efficit. Ipsa legum tam divinarum quàm humanarum si consulamus monumenta, ea nimis generaliter erunt concepta. Infinita autem factorum & circumstantiarum multiplicitas perpetuò juxta illam jurium generalitatem dimensurari nequit.

III. In quònam igitur moderamen nostrum absolvatur, certâ regulâ definiri haud posse asseruerim meritò. Generalem leges civiles subministrant descriptionem. *Qui cum aliter, inquit Paulus in l. 45. §. 4. π. ad L. Aquil. tueri se non possunt, damni culpam dederint, innoxii sunt.* Paulò aliter Gordianus in l. 2. C. ad L. Corn. de Sicar. negotium hoc depingit: *Is, qui aggressorem, inquit, vel quemcunq; alium in dubiò vitæ discrimine constitutus occiderit, nullam ob id factum calumniam metuere habet.* Omnium optimè novissimè in superius citatâ Caroli V. constitutione moderatio nostra inculpatæ tutelæ videtur delineata. Sed nec hanc desiderium exfatiare dixerim. Salutifera quidem Imperatoris sacratissimi intentio clara satis; infallibilem tamen circumstantiarû varietas illâ haud contenta tutelæ inculpatæ descriptione. Quid enim illa ab omnibus aliis seipsum tuendi modis præclusio importat? Quid commodi sine corporis vitæq; periculò effugii denegatio denotat? Certè, quò minus hæc à potestate civili certâ regulâ definiri possint, nimix casuum varietati ad scripserim causam. Primariæ igitur partes in negotiô hoc ritè dijudicandò Judicis æquè judicantis assignandæ arbitrio. Cessante enim mutæ legis dispositione vivæ legis imploranda auctoritas. Interim laborârunt hætenus Jcti in aliquali terminorum in defensione observandorum descriptione annotandâ. Illam tamen uniformem reperire haud licebit; etsi effectu conveniant omnes.

IV. Ego generalem moderaminis inculpatæ tutelæ delineationem in justâ defensionis & offensionis quæsiverim proportionem. Necessitatem scilicet defensionis ex proportionem ad